

**Disputatio medica inauguralis de humani corporis temperiei mutationibus : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : necnon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Thomas Clark, Scotus, Chirurgus, necnon Societ. Reg. Medic. et Societ. Reg. Physic. Edin. Socius.**

### **Contributors**

Clark, Thomas.  
Baird, George Husband, 1761-1840.  
University of Edinburgh.

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1802.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/trhpstqb>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

HUMANI CORPORIS TEMPERIEI  
MUTATIONIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

*Pro Gradu Doctoris,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS CLARK,

*SCOTUS:*

CHIRURGUS,

NECNON

SOCIET. REG. MEDIC. ET SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOCIUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

Qui aliquid quærit, id ipsum quod quærit, generali quadam notione comprehendit; aliter, qui fieri potest ut illud cùm fuerit inventum agnoscat? Idcirco quò amplior et certior fuerit anticipatio nostra, eò magis directa et compendiosa erit investigatio.

BACON.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1802.



VIRIS  
ILLUSTRISSIMIS,  
BENJAMINI RUSH, M. D.  
IN PHILADELPHIA;

NECNON  
GULIELMO HAMERSLEY,  
MEDICINÆ PRAXEOS  
IN  
EBORACO Novo  
PROFESSORI;

OB MULTA BENEFICIA  
AB IIS SUMMA BENEVOLENTIA IN SE COLLATA,  
HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,  
ANIMI GRATI TESTIMONIUM QUALECUNQUE,  
INSCRIBIT  
A U C T O R,



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31976864>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
HUMANI CORPORIS TEMPERIEI  
MUTATIONIBUS.

---

**D**ISQUISITIO hujusmodi medicinæ praxeos  
quàm maximè interest ; siquidem in om-  
nibus ferè morbis acutis, sive qui universum  
corpus afficiunt, calor naturali major minorve  
citiùs seriùs supervenit.

Quamvis plena explicatio effectuum, quos in  
corpus humanum exerit temperies justâ major  
minorve, et modi, quo hæ mutationes efficiun-  
tur, multùm sit desideranda, veruntamen quo-  
niam a causis admodum variis pendere possunt,  
unicuique medico perspicuum sit, oportet, sæpè  
difficile et forsan impossibile esse causam, vel  
causas, unde tales mutationes in systemate ori-  
untur, detegere.

A

Primum

Primùm de mutationibus, quas subit corpus humanum, dum bonâ valetudine utitur, quando calor ejus externis quibusdam adhibitis ultra citrave gradum naturalem conficit, pauca differam.

Deinde ad hujusmodi mutationes, ubi quorundam morborum effectus sunt, attentionem meam convertam.

CORPORIS fani calorem inter gradum *Thermometri Fabrenheitiani* 96<sup>tum</sup> et 98<sup>vum</sup> confistere, nemo inficias ibit. Quando verò hoc punctum paululùm citra subsistit, vel ultra progreditur, valetudinem haud parùm mutari, concedendum quoque est. Non autem mihi in animo est affirmare, partium corporis extremarum calorem gradu 96<sup>to</sup> vel 98<sup>vo</sup> non inferiorem existere posse, atque interdum reverà ita esse, quin ulla valetudinis adversæ symptomata sese prodant. Veruntamen si etiam in his partibus, vel in truncō corporis, calor multùm imminuitur, symptomata morbida proculdubio sese manifestabunt; universum enim corpus mutationis ejusmodi citò magis minùsve particeps fiet. Sanguinis calor, dum per corporis partes sic affectas cursum suum

suum peragit, prout istarum partium temperatura major minorve est, necessariò imminuitur vel augetur. Hinc constat universam sanguinis massam mutationem similem, quamvis gradu minorem, subire. Atque quando universæ sanguinis massæ calor naturali aliquot gradibus superior vel inferior evadit, conditio morbida sequatur, necesse est.

Quoniam corpus humanum, dum bonâ valedine utitur, mirâ facultate gaudet calorem suum semper æquabilem servandi, nimirùm inter  $96^{\text{tum}}$  et  $98^{\text{vum}}$  suprà memorati thermometri gradum, quamvis aëris ambientis temperatura compluribus gradibus superior vel inferior sit; in plurimis tamen morbis minimè ita fese habet res; tunc enim est ubi corpus haud parùm incaleficit vel frigescit, interea temporis aëris conditione omninò eâdem existente quâ homo sanissimus frui solet.

Corporis humani calorem ubique gentium ferè eundem esse, certum et compertum est; et quando homines vel a regione frigidiore ad calidiorum, vel a calidore ad frigidorem, migrant, corporis temperaturam parùm mutari, benè quoque notum est. Verùm haud diffin-

landum est, in plagis orbis septentrionalibus, extremarum corporis partium temperaturam plerumque aliquantò minorem esse quàm in australibus, sed partium internarum calorem ubique ferè eundem, vel omnino ita, existere.

Mirum admodum est, corpus vi hacce peculiari non solùm calorem ferè æquabilem in omnibus orbis terrarum plagis servare posse, verùm idem etiam accidere quando calori multò magis intenso, quàm qui in regionibus calidioribus dominatur, hominęs subjiciuntur.

Sic experimenta, quæ viri ingeniosi Eques CAROLUS BLAGDEN et Dr FORDYCE inierunt \*, docent, caloris gradui a 240<sup>mo</sup> ad 260<sup>mum</sup> sæpiùs fese aliquandiu subjecisse, quin multum molestiæ experirentur. Eques CAROLUS BLAGDEN inquit : “ During the whole day, we passed out of the heated room, after every experiment, immediately into the cold air, without any precaution : after exposing our naked bodies to the heat, and sweating most violently, we instantly went into a cold room, and staid there even

\* *Vide Transactions of Royal Society, vol. XLV,*  
p. 13 & 484. & 494.

even some minutes before we began to dress ; yet no one received the least injury."

Quamvis viri isti ingeniosi, dum pericula hujusmodi faciebant, vix ullum detrimentum coperunt ; tamen mihi admodum probabile videtur, in calore adeò intenso vitam non diu sustineri posse. Sic, qui in officinis, ubi vitrum conflatur, vel in locis, quorum temperatura sanguinis calorem multùm excedit, versari solent, raro ad senectutem perveniunt.

Quoniam experimenta hæcce demonstrant, corpus sanum in aëre caloris gradum 96<sup>to</sup> longè superiore aliquamdiu impunè perferre posse ; pari modo, *a priori*, nobis concludere liceret, corpus in aquam, cuius calor gradu 96<sup>to</sup> vel 98<sup>vo</sup> aliquantò superior est, demissum calorem naturalem fore servaturum. Verùm, res minimè ita est : namque tam ex meâ, quam ex aliorum experienciâ, compertum habeo, corpus in aquam sanguinis temperaturâ calidiorem immersum brevi califieri, dummodo transpiratio copiosa eodem tempore non occurrat.

Quando corporis calor compluribus gradibus augetur, symptomata iis, quæ febrem inflammatoriam comitantur, similia oriuntur. Cujusmodi

modi sunt frequens, validus, plenus pulsus, universi systematis molestia, et cætera.

Quantus fit aquæ calor, quem corpus perfere posset, et quamdiu, nunquam certior factus sum. Verùm opinor, calorem eo qui febrem ardentissimam comitatur, superiorem non diu preferre posse, nisi eodem tempore sudore copiosissimo manante. Corpore enim ad hunc gradum calefacto, omnia symptomata, quæ in febre inflammatoria vehementi plerumque observantur, ni fallor, orirentur, et pro caloris incrementi ratione magis magisque augerentur. Imò mihi verisimillimum videtur, eundem caloris gradum homini fano balnei ope impertitum, vehementiores effectus in genus sanguiferum editurum esse, quàm idem temperaturæ in febre incrementum. In febre enim, cerebri vis haud parùm imminuitur. Hinc admodum probabile est, æquales caloris gradus in balneo quàm in febre genus sanguiferum magis afficere. Si res ita sepe habet, etiam quum corporis calor  $110^{\text{num}}$  vel  $112^{\text{num}}$  gradum non superet, sanguinis impetus esse tantus potest, ut rumpi possint minora in capite vafa, unde mors subita necessariò sequeretur.

In Russia balnea usque ad gradum thermometri Farenheitiani 116<sup>dum</sup> calefieri narrantur: verum, si meam sententiam proferre liceat, mihi videtur neminem in ejusmodi temperatura existere posse, priusquam calorem aequalem acquisiverit corpus.

---

HISCE observationibus de aëris vel aquæ Caloris in corpus humanum actione præmissis, nunc de Frigoris eodem modo communicati effectibus, pauca differere pergam.

Olim opinatus est clar. CULLENUS, in hac insula corpus humanum, dummodo sanum sit, quando quietum manet, calorem suum naturalem retinere posse, nisi temperatura aëris infra gradum 62<sup>dum</sup> descendat.

Verum probabile est, in hac re inter diversos homines non parvam varietatem existere. Atmosphæræ siccitas vel humiditas, vel ejusdem motus tardus vel celer, varios in corpus humanum effectus necessariò præbebunt.

Quantum

Quantum sit aëris frigus, quod in homine nudo et quieto, intra datum tempus mortem inducendo par est; vel quamdiu existere possit homo sub Jove frigidissimo; haec tenus non exploravi. Verum manifestum est, in hujusmodi experimentis, eventum ab aëris conditione, hominisque constitutione peculiari, plurimum pendere. Sed, ab actione frigoris in corpus, quando in aëre exeritur, ni fallor, concludere nobis licet; Quum corpus humanum diuturnæ frigoris intensi actioni subjiciatur, ad somnum proclivitatem ægrè superandam oriri, quæ tandem in ipsum somnum profundum definit, unde homo vix excitari potest, et nisi veste multâ tegatur, vel in temperaturam mitiorem deferatur, nunquam resuscitari posse.

Verum quando homo, motu omni ferè privatus, frigori ad congelationis punctum, vel parum inferiori, diu fit expositus, delirium supervenit, et brevi postea convulsus moritur. In tali easu ad somnum proclivitas, vel etiam somnus, interdum delirium præcedit, interdum vero non.

Qualis sit pulsus status in hominibus vel admodum intenso vel modico frigori subjectis,  
nondum

nondum satis comperi: tamen ex rationis similitudine concludere fas esse videtur, pulsus in utroque mox ante postremam horam frequen-  
tissimum atque debilissimum fore, similem ei qui interdum observatur in febribus lentis nervosis,  
quando brevi in mortem desinunt.

Res mira est, ut experimenta ingeniosi medi-  
ci CURRIE demonstrant, quum homo sanus in  
aquam marinam, cuius calor inter gradum  
 $40^{\text{num}}$  et  $44^{\text{tum}}$  est, subito immersatur, ibique  
aliquandiu detineatur, calorem partium corporis  
internarum solum duobus tribusve gradibus im-  
minui. Concedit tamen extremorum tempera-  
turam eodem tempore multum imminui.

Quando aliquis in aquam hujusmodi tempe-  
raturae immersitur, tremoribus vehementibus,  
vel singultu convulsivo, primum corripitur. At-  
que haec plerumque quo minus accurata corpo-  
ris temperatura cognoscatur impediunt, donec  
temporis *minutum* plusve praeteriit. Verum elap-  
so hoc tempore, thermometrum in os insertum  
calorem a gradu  $88^{\text{vo}}$  ad gradum  $90^{\text{num}}$  indicat.  
Dehinc mercurius paulatim ascendere pergit,  
et plerumque, decem circiter ab immersione

elapfis *minutis*, gradum  $94^{\text{tum}}$ ,  $95^{\text{tum}}$  vel  $96^{\text{tum}}$  attingit, ibique moratur.

In hisce experimentis, statim ante immersio-  
nem pulsus plerumque solito paulò frequentior  
erat, propter mentis commotionem quâ affecti  
sunt homines. Verùm brevi post immersionem  
arteriarum pulsus a sexaginta quinque ad sexa-  
ginta octo, horæ *minuto*, numerati sunt.

Tempore fatis diurno elapfo, arteriarum ad  
carpum pulsus non percipiendi erant. Verùm  
cordis actio regularis permanxit.

Mirum est hominis, qui modo e balneo frigi-  
do emersit, calorem semper haud parùm immi-  
nui, quod quidem indicat mercurii in thermo-  
metro descensus. Sed primo aspectu adhuc  
magis mirùm et explicatu difficilius videtur,  
quum aliquis e balneo frigido ascenderit, et in  
calidum ad gradum a  $96^{\text{to}}$  ad  $100^{\text{num}}$  sese im-  
merget, brevi complures caloris gradus amit-  
tere. Verùm hæcce temperaturæ imminutio  
rarò diutiùs quàm pauca horæ *minuta* perstat.

Quamdiu partium internarum calor ad gra-  
dum  $94^{\text{tum}}$ ,  $95^{\text{tum}}$ , vel  $96^{\text{tum}}$  servari poffet, quan-  
do detinetur corpus in aqua cuius calorem de-  
notat

notat thermometri gradus a 40<sup>mo</sup> ad 44<sup>tum</sup>, ab ingeniosi CURRIE experimentis collegi nequit. Verisimillimum autem videtur, homine hujusmodi frigori subiecto vitam satis diu servari posse. Ex historia accurata, quam tradidit Dr CURRIE, miseriarum, quibuscum conflictati sunt navis Americanæ nautæ, qui mense Decembre anno 1790, in ora prope oppidum Liverpool naufragium paffi sunt, ita concludere adducti sumus.

Homines miseri qui hocce infortunium experti sunt quatuordecim numero fuerunt. Quamvis autem viginti tres horas navi alligati essent, quo tempore aëris temperatura a gradu 30<sup>mo</sup> ad 33<sup>tum</sup>, et aquæ ad gradum 36<sup>tum</sup> erat, solùm tres eorum extincti sunt. Major pars corporis eorum qui superstites reperti sunt toto hoc tempore aquâ immersa fuerat; ii, vero, qui mortui sunt, solummodo identidem ab undis madefacti fuerant. Dum in gravi hocce periculo versati sunt, plerumque procellosum erat, et nix cum pluvia commixta e cœlo crebrò descendit. At en Doctoris CURRIE ipsissima verba:

“ The master of the ship, Captain SCOTT, a native of North Carolina, and about forty years

of

of age, died first. As they were in the dark, Mr Amyat (navarchæ legatus, qui cum CURRIE rem communicavit) could not see his countenance; but he was first alarmed by hearing him talk incoherently, like one in the delirium of fever. By degrees his voice dwindled into a mutter, and his hearing seemed to fail. At length he raised himself up in a sort of convulsive motion, in which he continued a few seconds, and then fell back dead on the deck. This happened about eight in the evening; four hours after, the ship went aground. Soon after this, Captain DAVISON, who was about twenty-eight, began to talk incoherently, in the same manner as the other. He struggled longer, but died in the same way at about eleven at night. The cook died in the forenoon of the succeeding day. He was a low-spirited man, and desponded from the beginning. All the rest held out, as has been already mentioned, though sorely pinched with cold and hunger, till they were taken up about three in the afternoon. Mr Amyat said that his hands and feet were swelled and numb, though not absolutely senseless; he felt a tightness at the pit

of

of his stomach, and his mouth and lips were parched ; but what distressed him most were cramps in the muscles of his sides and hips, which were drawn into knots. Though immersed in the sea, they were all of them very thirsty ; and though exposed to such severe cold, Mr Amyat himself was not drowsy, nor were any of the men drowsy ; nor did sleep precede death in those that perished. These facts are curious."

Dr CURRIE existimat mortem trium hominum, quorum mentio supra facta est, ab eorum peculiari situ accidisse, propterea quod navis foris alligati sunt, ubi solùm identidem aquâ marinâ lavati, verùm frigori aëris intenso perpetuò subjecti sunt. Perpetua evaporatio a summo corpore, calorem eorum maris temperaturâ minorem reddiderit, necesse est ; aëris marisque temperaturam fuisse æqualem, posito. Porrò admodum probabile videtur, aquam marinam, vi ejus stimulatrice sanguinis in vasis minimis circuitu promoto, profuisse; quam conclusionem, D<sup>nis</sup> CURRIE observationes et experimenta nos inferre sinunt. Atque hinc patet, corpus humanum calorem suum multò diutiùs in aqua

marina

marina quam in aqua fluviatili, cujus temperatura eadem est, retinere.

Præterea, hanc opinionem confirmant res sequentes, omnibus nautis bene notæ.

Quando imbribus madidi sunt, præsertim frigore dominante, ab aquæ marinæ affusione ferè semper plurimum beneficii experiuntur; brevi enim postea plerumque calor gratus per universam corporis superficiem diffunditur. Idem quoque bene notum est, quum aquâ marinâ madidi sint, vix ullum inde timendum periculum. Verùm effectus perniciosi, qui pluviæ applicationem sequuntur, pariter illis innotescunt, ideòque ab iis summa ope caveri solent.

OBSERVATIONES DE MODO QUO NATURA CORPORIS HUMANI TEMPERATURAM ÆQUABILEM SERVAT.

HODIE, ni fallor, passim creditur, corpus calorem suum ab aëre pulmonum ope derivare. Alii caloricum in pulmonibus omnino evolvi opinantur.

opinantur. Alii verò autumant partim in pulmonibus, partim verò in sanguinis circuitu, evolvi. Atque sane hæcce opinio majorem veri speciem habere videtur.

Opinio quoque generalis est, præfertim perspirationis ope naturam salubrem corporis temperaturam sustinere.

Huic opinioni omnino consentaneum est, aëris temperaturâ haud parùm adauctâ, vel corpore vehementer exercitato, vel stimulantibus internè assumpsis, transpirationem cuticularem, dummodò homo bene valeat, manifestò intendi; contrà, atmosphæræ temperaturâ imminutâ, vel quando homo modò exercitatus tandem quiescit, transpirationem pro rata parte minorem reddi.

Quando intenditur aëris temperatura, caloris, qui e corpore emanat, quantitas, cæteris paribus, minor sit, quàm ubi aër frigidior est, oporet. Hanc rem satis explicare videntur leges caloris generales.

Exercitatio, sanguinis circuitu accelerato, respirationem frequentiorem reddit. Hinc oxygениi major copia dato tempore in pulmones trahitur,

trahitur, ideòque plus calorici in sistema imbibitur.

Porrò, stimuli, sanguinis momento adaucto, pari ferè modo agunt.

Inde derivanda est vis mira, quam possidet corpus humanum, quâ calorem salubrem, etiam quum temperaturæ gradui 96<sup>to</sup> vel 98<sup>vo</sup> haud parùm superiori inferiorive subjiciatur, semper æquabilem tuetur.

Quantus adamussim fit atmosphæræ calor, quem perferre potest corpus sine temperaturæ augmento, vel quamdiu talis calor impunè applicari possit, nunquam accepi. Verumenimvero conjicere propendo, dum Dr FORDYCE et Eques CAROLUS BLAGDEN pericula faciebant, quamvis caloris gradu a 240<sup>mo</sup> ad 260<sup>mum</sup> subjecti essent, corporum eorum calorem naturalem non multùm excedisse. Atque hinc ita concludere mihi licet, quia in balneo calido ad gradum 100<sup>mum</sup> (vel 101<sup>mum</sup>, symptomata febrilibus similia occurrunt; verùm dum experimenta suprà narrata perficiebantur, vix ullum molestiæ periclitantes urgebat.

Brevi postquam corporis calor ad secundum, tertium, quartumve gradum naturali superiorem ascendit,

ascendit, plerumque copiosus erumpit sudor; atque ut Dris CURRIE experimenta demonstrant, dum iste copiosus manat sudor, temperatura ultra gradum  $100^{\text{mum}}$  vel  $101^{\text{mum}}$  intendere difficultum est; quamvis balnei calor compluribus gradibus temperaturā jam dictā altior fit.

Verū si, corpore semel vel subito in balneum ad gradum  $104^{\text{tum}}$  vel  $106^{\text{tum}}$  immerso, hæcce perspiratio non occurat; homo de doloribus maximè acutis universum corpus sufficientibus statim conqueritur, vitamque sub hujusmodi calore brevi extinguedam fore, verisimile videtur.

Quoniam sudor copiosus dum fluere pergit, in balneo calido quò minùs corpus magis incalescat impedit, etiam quum balnei calor corporis temperaturā compluribus gradibus major fit; sudoris ope naturam corporis temperaturæ incrementum prohibere, non negandum esse, opinor. Hinc fas esse videtur concludere, dum sudor manat, frigus generari, neque ab evaporatione omnino pendere.

Cùm Dris CURRIE et aliorum experimenta ostendunt, quando corpus in balneo calido complures temperaturæ gradus acquirit, majorem

vel minorem molestiam, pro majoris vel minoreis caloris augmenti ratione, supervenire; uno verbo, omnia symptomata, quæ febrem inflammatoriam plerumque comitantur, accedere; hujusmodi effectuum causam explorare, operæ pretium erit.

In balneo hujusmodi temperaturæ sanguinis circuitus proculdubiò multùm acceleratur. Verùm, sanguinis momentum adauctum magnæ universi systematis molestiæ, quæ interdum occurrit, minimè rationem reddit.

Validam corporis exercitationem, vel stimulantia fortiora internè assumpta, sanguinis circuitum accelerare, benè notum est; veruntamen plerumque, nullum symptomata molestum sequitur. Concludere igitur nobis licet, molestiæ generalis symptomata ad adauctum sanguinis circueuntis momentum minimè referenda esse.

Secundum generales caloris leges, omnis substantia in natura, si paucas excipias, quum augeatur temperatura ejus, expanditur. Legi huic generali sanguinem parere, non dubitandum est. Respondere potes, quum totius massæ sanguinis calor aliquot gradibus augeatur, ejus molem

molem generalem multùm affici nequire. Verum huic opinioni subscribere nolo; quædam enim experimenta a meipso instituta indicare videntur, expansionem haud parvam occurrere, etiam quum temperatura solùm aliquot gradibus intendatur.

Ob sanguinis expansionem hujusmodi, vasa sanguifera præter naturam dilatantur. Hinc, ut opinor, concludendum est, molestiæ generalis sensum, caloris justo majoris perpetuum comitem, a vasibus sanguiferis nimis dilatatis repetendum esse.

Totius corporis, quando in balneum calidum immergitur, molem augeri, a plerisque concedi, credo; quæ res sola auctum calorem non parvam sanguinis massæ expansionem gignere, argumento certissimo esse videtur.

Distensionem vasorum extremorum, cæteraque ad superficiem sanguinis solito majoris affluxûs symptomata, ad relaxationem, quam gignit balneum calidum, a quibusdam relegari, non ignoro. Corporis in aquam tepidam immersionem, universam ejus superficiem relaxare, sanè haud reticendum est; mutationemque quodammodo similem in plerisque corporis partibus

partibus per consensum occurrere posse, probabile videtur. Quamvis relaxationem generalē, præsertim autem superficialem, a balnei calidi usu provenire concedatur; tamen, me judice, hujusmodi mutatio minimè plenam reddit rationem totius corporis molis auctæ, quam gignit mora in balneo calido satis diuturna. Atque reverà haud dissimulandum est, quum venæ in summo corpore præter naturam relaxentur, ideòque more solito fluidis contentis resistere nequeant, tunc solito ampliores fieri. Verùm hoc molis totius corporis auctæ minimè causam explicat.

Posito enim vasa extrema propter relaxationem majorem, solito sanguinis quantitatem continere; vasa, quæ profundiùs jacent, necessariò fluidi quantitate privantur, quæ ejusdem excessui in vasis extremis contento respondebit. Quare concessâ, nullum verum corporis augmentum efficere potest sola ejusdem relaxatio, nisi largiamur corpus, quando relaxatur, amplius esse quam cum bonâ valetudine utitur. Talem solidorum mutationem, a relaxatione sola profici sci posse, mihi minimè probabile videtur.

Quando

Quando aëris temperatura subitò augetur, a plerisque concedendum esse credo, venas ubique in summo corpore multò magis dilatari quām plerumque esse solent. Sensationes quoque, iis, quæ plethoram generalem plerumque comitantur, accedunt; scilicet, distensionis nimiae per totum corpus, verùm præsertim in pectore, sensus, unà cum majore vel minore dyspnœa, et mole universi corporis manifestò aucta.

Symptomata, qualia suprà enumerata, ferè semper experiuntur ii qui a plagiis temperatio-ribus vel frigidis ad calidiores migrare cogun-tur. Non raro tunc occurrunt pulmonum af-fectiones inflammatoriæ, sputis sanguinis stipa-tæ; verùm hæ affectiones symptomatis vehe-mentioribus, quæ pleuritidem ut plurimùm co-mitantur, raro insigniuntur.

Hæc symptomata a nimia plethora, hanc verò ab insolita sanguinis expansione, proficiisci, ma-ximam veri speciem habere mihi videtur. Af-firmari quidem potest, quoniam corporis fani ubique gentium calor ferè æquabilis esse ob-servatur, atmosphæræ temperaturam majorem universem

universam sanguinis massam parùm expandere debere.

Quamvis partium corporis interiorum calor in omnibus regionibus ferè idem est, tamen superficie corporis ut et bronchiorum calorem in calida majorem esse quam in frigida atmosphæra, credo. Quod si ita sese habet, symptomata plethoræ generalis modò enumerata, explicari possunt.

Annon summa debilitas, quæ calorem balnei præter naturam auctum brevi subsequitur, doloris effectibus attribuendæ est?

Quum aliquis in balneo calido moretur, de magna debilitate plerumque non conqueritur priusquam distentionis nimiæ generalis sensus ingratus accedat; unde concludendum esse opinor, debilitatem magna ex parte dolori, quem excitat vasorum distentio nimia, deberi.

Si res ita se habent, videtur effectibus stimulantibus, quos calor præter naturam auctus in corpus exerere solet, quodammodo obviam ire effectus sedantes, quibus sensationes molestæ, a vasorum expansione insolita, et inde pendente distentione nimiâ excitatæ, originem præbent.

HISCE

HISCE observationibus præmissis de caloris in corpus humanum effectibus, et pro virili parte explicatâ causâ plerumque effectuum, qui sequuntur, quum corporis temperatura in balneo aliquot gradibus augeatur ; nunc Frigoris, corpori eodem modo applicati, phænomena indagare me accingam.

Ex experimentis Dris CURRIE, quorum mentio toties jam facta est, manifestò colligitur, primùm temperaturæ corporis imminutæ effectum sanguinis circuitūs vis quoque imminutio- nem esse. Brevi arteriarum pulsus solito minùs frequentes fiunt. Verùm calore compluribus gradibus imminuto, et sic aliquandiu manente, pulsus admodum celeres, debiles et inæquales redduntur. Homo quoque vehementi horrore corripitur, et admodum probabile videtur in tali temperatura, vitam brevi extinguendam fore.

Vis

Vis quâ corpus gaudet, effectibus temperaturæ suâ multùm inferiori resistendi, admiracionem omnium sibi vindicat.

Hominem omni ferè motu privatum in aqua marinâ ad gradum circiter 36<sup>tum</sup> ad minimum viginti quatuor horas existere posse, suprà demonstratum est. Utrum verò, corpore humano, omni motu privato, et aëri ejusdem temperaturæ subiecto, tamdiu sustineri possit vita, hactenus nondum satis exploratum est. Sed hoc certissimum habendum est, corpore aëri ejusdem temperaturæ exposito, et aquâ identidem madefacto, mortem multò citius afferri, quam cum homo aquâ marinâ profus immersus maneat.

Ubi aliquis aquâ madidus perpetuò aëris perflatui exponitur, evaporationis augmentum, calorisque absorptio, quæ necessariò sequitur, effectuum, quorum mentio nuper facta est, faciliem explicationem præbent. Et quamvis homo ad gradum circiter 36<sup>tum</sup> expositus, imbris vel aliundè non sit madidus, atmosphærâ eodem tempore humiditate onustâ, ventoque acriter flante, admodum verisimile videtur mortem citius sequutum iri, quam in aqua ejusdem temperaturæ,

temperaturæ. Imprimis, propterea quòd aér humidus, caloricum citius quām aqua transmittit. Secundo, quoniam aér perpetuò agitatur, nova frigoris successio corpori semper applicatur. Contrà, quum quis aquā immersus sit, aquæ pars corpori proxima diutiùs applicatur quām aér, quo corpus circumvenitur, præsertim vento acriter flante. Porrò, si aqua stagnat, ea quæ corpori proxima est, calorem auctum brevi acquirit; et quoniam aqua caloricum transmittendo admodum inepta est, corporis calor non abstrahetur æquè citò ac probabile videretur, præsertim autem quum animo perpendamus multò maiorē aquæ quām aëris densitatem.

Altera ex parte, quamvis aqua caloricum transmittendo admodum inepta fit, nihilominus quando corpori se calidiori applicatur, temperaturæ incrementum brevi acquirit, ob perpetuam particularum, corpori calefacto proximarum, mutationem. Particulæ calefactæ, quæ minorem gravitatem specificam possident, ad superficiem ascendunt, et in spatiis, quæ occupabant, statim subeunt particulæ frigidiores. Atque sic ingenuofus Comes RUMFORD liquidorum calefactio-

nis refrigerationisque, rationem reddit, quamvis, ut ille observat, ipsa minimè calorem transmittere valeant.

Homo, ut suprà dixi, aquâ ad gradum circiter  $42^{\text{dum}}$  immersus, brevi ab uno ad sex caloris gradus amittit. Verùm quum decem minuta, vel quartam horæ partem, ibidem manserit, ad normam ferè naturalem trunci corporis calor redit; extrema verò haud parùm iñfra temperaturam salubrem manere obseruantur.

Harum rerum rationem reddere, arduum esse videtur; id verò non frustrà tentari posse, opinor. Quum primum aliquis in balneum immersitur, sanguinis circuitus in corporis superficie, eamque versus, liberè et expeditè peragit; ideoque sanguis in vasis summis, et iis subjectis, contentus, brevi post aquæ frigidæ applicationem, cor versus propelletur. Verùm, aqua frigida corporis superficiem aliquâ caloris ejus parte necessariò privabit; unde sanguis, qui in vasis summi corporis circuitum suum peragit, minus calidus factus, et sic ad cor delatus, totius massæ temperaturam imminuet. Cor quoque forsan vi solitâ agere definit, ob imminutam sanguinis

sanguinis temperaturam, unde ex aliqua parte stimuli soliti, nempe caloris, necessariò privabitur. Ad hæc verisimile videtur, aquam frigidam corpori subitò applicatam in breve tempus vim vitæ quodammodo suspendere, atque sic opere coniuncto corporis temperaturam immunuere.

Quum aliquis in balneo ad hanc temperaturam aliquandiu moratus sit, sanguinis circuitum corporis peripheriam versus, et in ea, magna ex parte suspendi posse, probabile videtur. Verisimile quoque est, adipem in tela cellulosa contentum prope corporis superficiem ferè omnino, si non omnino, congelari posse. Quod si ita est, particularum mutatio, quæ calorem frigusve fluidis impertiendo adeò necessaria est, magna ex parte suspendetur. Unde constat, in tali statu corpus humanum involucro, per quod caloricum ægerrimè transmittitur, quasi obductum habendum esse. Hinc igitur existimo derivandam esse salubrem corporis partium internarum temperaturam, in aqua se multo frigidiore.

Alia

Alia res mira, quæ balneum frigidum attinet, adhuc explicanda restat; nempe, corpus, quum aliquis e balneo frigido in atmosphærā emergit, frigidius fieri. Quando aëris perflatus, occurrit, rapida evaporatio inde facta temperaturæ imminutæ quodammodo causam explicat. Verùm frigus superadditum ab evaporatione generatum tam subitam temperaturæ imminutio- nem efficiendo minimè par esse videtur. Tela enim cellulosa, ut probabile videtur, tunc temporis rapidam calorici transmissionem finendo admodum inepta videtur: ab alia causa, igitur, præter evaporationem proficiisci, concludendum est.

Aquam, corporis superficiem comprimendo, sanguinis per vasa summa circuitui haud parùm resistere, persuasum habeo. Hinc, aquæ presurâ ablatâ, sanguis per summa vasa liberius circuitum peraget, ideòque corporis superficies, partesque vicinæ, quæ forsan ejusdem temperaturæ ac balneum frigidum sunt, haud parùm calorici a sanguine ibi circueunte abstrahent. Sanguis autem qui sic refrigeratur, quando partes internas attingit, sanguinis temperatu- ram ibi necessariò imminuet, ideòque cor for-  
taſſè

tassè solitâ vi non aget, propterea quod sanguinis, qui ei suppeditatur, temperatura non nihil imminuitur. Hinc calor brevi minor evadet, partim ob imminutam sanguinis temperaturam et debiliorem cordis actionem, partimque ob evaporationem quæ in corporis superficie tunc temporis fieri solet.

Temperaturæ imminutionem, quæ brevi sequitur quum aliquis e balneo frigido in balneum calidum transfit, ad easdem ferè causas referendam esse, videtur. Calor corpori subito admotus, universo generi sanguifero, sed præferuntim vasis prope superficiem sitis, stimulo valido erit. Hinc subitus superficiem versus affluxus fiet, qui brevi posteà ad intimas corporis partes transfibit.

Quamvis haud parùm caloris sanguini in vasis summis contento impertiatur, tamen mihi probabile videtur, telam cellulofam propè superficiem non nisi tempore satis diurno elapsa temperaturam naturalem recuperaturam esse. Verisimile, igitur, est sanguinem, quum primum a centro corporis superficiem versus circuitum liberum peragere incipit, plus calorici amittere posse, dum per telam cellulofam superficialem

ficialem profundius sitam transit, quām quod ei ab aqua calida circumambiente primūm imperitatur. Sic hujusce rei, quæ primo aspectu ferè inexplicabilis videtur, rationem reddere conarer.

OBSERVATIONES DE QUIBUSDAM MORBIS CA-  
LORE PRÆTER NATURAM AUCTO VEL IMMI-  
NUTO STIPATIS.

CONCEDENDUM esse opinor effectus, quos in corpus humanum exerit in balneo frigido diuturna mora, iis symptomatis admodum similes esse, quæ febris intermittentis stadium frigidum comitantur.

In utroque casu, pulsus primūm tardior et debilior naturali evadit: deinde frequens, debilis et parvus redditur. Tandem tremores magis vel minùs vehementes accedunt, corporisque temperatura imminuitur. Uno verbo, symptomata quæ in utroque casu oriuntur, sibi invicem

invicem ferè adamussim in omni re similia vi-  
dentur.

Affirmari quidem potest, raro solum tardum  
debilemque pulsū febris paroxysmū præce-  
dere. Verūm opinor, si res attentione quam  
meretur investigaretur, pulsū ferè semper re-  
periendum esse naturali tardiorē et debilio-  
rem, dum adsunt languor, laffitudo, et cætera,  
quæ vehementiora febris symptomata semper  
præcedunt.

Similitudo quoque quæ intercedit intermit-  
tentis stadium calidū inter, et effectus quos in  
corpus humanū edit in balneo calido mora ita  
protracta ut corporis calorem præter naturam  
augeat, profectō mira admodum est. Pulsū  
aucta frequentia roburque, univerſi corporis  
molestia, cæteraque symptomata febrium stadii  
calidi propria, in utroque casu occurruunt. Re-  
verà, si meam sententiam proferre liceat, sym-  
ptomata in nulla re *essentiali* omnino discrepare,  
affirmarem.

Priusquam phænomena generalia febris pro-  
pria explicare moliar, clar. CULLENI observa-  
tiones fequentes, huc spectantes, mihi citare li-  
ceat: “As the hot stage of fever is so constant-

ly

ly preceded by a cold stage, we presume that the latter is the cause of the former; and therefore that the cause of the cold stage is the cause of all that follows in the course of the paroxysm. To discover the cause of the cold stage of fevers, we may observe, that it is always preceded by strong marks of a general debility prevailing in the system. The smallness and weakness of the pulse, the paleness and coldness of the extreme parts, with the shrinking of the whole body, sufficiently shew that the action of the heart and larger arteries is for the time extremely weakened. Together with this, the languor, inactivity, and debility of the animal motions, the imperfect sensations, the feeling of cold while the body is truly warm, and some other symptoms, all shew, that the energy of the brain is, on this occasion, greatly weakened; and I presume, that as the weakness of the action of the heart can hardly be imputed to any other cause, this weakness also is a proof of the diminished energy of the brain."

Ex verbis suprà citatis colligendum est, debilitatem quandam symptomatum febrilium catenæ primum quasi annulum esse; et quoniam  
cætera

cætera febris propria phænomena debilitatis hujuscē effectus esse, rationi consentaneum est, stadium febris frigidum statum ejus naturalem esse, non parvā veri specie concludere nobis licet; aliis verbis, febrem ab imminutione vis nervosæ pendere. Quod si ita fese habet, stadium frigidum, calor qui subsequitur, cæteraque symptomata febrilia, solummodo tanquam vis cerebri imminutæ effectus habenda sunt.

Debilitatem sanguinis circuitūs velocitatem imminuendo, corporis temperaturam deprimere posse, ab omnibus concessum iri credo. Verū quomodo debilitas temperaturæ incremento cæterisque febris symptomatis originem præbeat, primo aspectu inexplicabile videri potest. Sed quum in animo perpendamus, halitūs cuticularis imminutionem debilitatis generalis effectum perpetuum esse, dummodo non adfit calor præter naturam auctus; cæterorum symptomatum febrilium explicatio, me judice, non sine successu expectatione tentari potest.

Secundūm medicorum opinionem maximè generalem de corporis fani calore, quantitas ejus in pulmonibus evoluta, vel in corpore, dato tempore, genita, quantitati, quæ a corporis su-

perficie eodem tempore avolat, adamussim respondet.

Quoniam præfente febris stadio frigido corporis temperatura semper imminuitur, majorem calorici quantitatem tunc temporis a corpore emitti, quām quæ eodem tempore in sytēma recipitur, vel ibi generatur, largiamur, necesse est.

Si hujusmodi corporis status diu perstaret, temperaturæ imminutio adhuc major, tandemque ipsa mors, seuerentur. Febris stadium frigidum interdum, quamvis raro, mortem tam subitam inducere, non dubitandum esse, credo, ut pestis febrisque carcerariæ historia evincit. Sæpius autem brevi post manifestam febris accessionem, caloris incrementum occurrit. Concedendum igitur est, iis in rebus majorem calorici quantitatem in corpus recipi, vel ibi generari, quām quæ eodem temporis spatio ab eo emittuntur.

Halitum cuticularem sensibilem principio febris cohiberi, neminem esse qui negat mihi persuadetur; ideoque concedendum, caloris quantitatem pro rata parte minorem a superficie diffusum

fusum iri. Quoniam, igitur, calor solito major plerumque occurrit, quantitatem calorici systemati impertiti majorem esse, quām quæ eodem temporis spatio a corporis superficie exit, saltem morbi principio, fateri cogimur. Hinc corporis calor necessariò præter naturam augebitur.

Quamvis verò quantitas caloris in tali casu systemati impertiti aliquandiu major sit quām quæ eodem temporis spatio ab eo avolat; tamen quoniam est gradus caloris ad quem perpetuus cujusdem calorici quantitatis influxus cujusvis rei inanimatæ temperaturam in data aëris conditione elevabit; igitur calorici quantitatis in corpus humanum influxus, temperaturam ejusdem ad quendam gradum, et non amplius, elevet, necesse est; id est, dummodo omnes taliae res in eodem statu maneant, in quo fuerunt quando talis in systemate mutatio primùm inducta est.

Quomodo hujusmodi in systemate mutationem efficere possit debilitas generalis, difficile, vel forsan impossibile, explicatu esse profiteor. Verum rem ita revera se habere, non dubitandum esse existimo.

Quæcunque

Quæcunque fit mutatio in summo corpore, vel quocunque modo efficiatur, vasa summa spasmodicè constricta esse videri, certum et compertum est. Utrum hujusmodi mutatio debilitati, præsertim vasorum minimorum, attribuenda sit, in medio relinquam. Verisimilium tamen videtur, huncce statum atonicum, sive spasmodicum, præsente stadio frigido, a debilitate sola profici sci. Profectò tunc temporis superficie conditio sæpe mihi admodum similis videtur mortuorum cuti. Hinc opinari adducor, in febre, præsertim stadio frigido præsente, corporis superficiem uti vis vitæ quodammodo privatam habendam esse.

Prout calor accumulatur, generis sanguiferi actio augetur; ideoque omnia symptomata, quæ febrem plerumque comitantur, sequuntur. Verum, quoniam in febre propriè dicta, cerebri vis semper multum imminuitur, a priori concluderetur, ut antea dixi, eandem corporis temperaturam a febre regulari et ab immersione in balneo calido, inductam, effectus non nihil diversos genituram fore.

Univerfi corporis molestiæ, quæ febris stadium calidum semper comitatur, facilem explanationem

cationem præbet vasorum sanguiferūm distentio nimia, quam gignit insolita sanguinis expansio, a temperatura justa majore profecta. Inæqualis etiam sanguinis distributio, quæ in febre occurrit, præsertim in stadio frigido, ad sensaciones molestas gignendum conferre potest. Superficiei quoque constrictio spasmodica, ad plethoram insolitam in vasis profundiùs fitis generandam forsan quodammodo confert.

Sitim insolitam, quæ febrem ferè perpetuò comitatur, quod attinet; ea partim ad temperaturam solito majorem, partimque ad debilitatem accepta, referenda est. Prior enim, humiditatis oris et faucium, magis rapidam evaporacionem efficiet; posterior verò salivæ mucique secretionem imminuet. Hinc partes arefcent; ideoque frequens fitis excitabitur.

In universum, igitur, credere adducor, frigoris effectus, quum ita applicatur, ut corporis calorem compluribus gradibus minorem reddat, omnino ferè, si non omnino, iis symptomatis similes esse, quæ in intermittentis stadio frigido occurrunt.

Fas etiam concludere videtur, effectus qui in corpore humano occurrunt, quando temperatura

tura ejus externi caloris applicatione augetur, parùm, si omnino, a symptomatis, quæ in intermittentis stadio calido obseruantur, differre.

---

QUONIAM effectus topici, quando magnus dolor adest, febre semper stipantur, modum quo hæc generetur, investigare, operæ pretium erit.

Primus effectus, quem in corpus universum exerit dolor acutus, ubicunque situs, semper *debilitas generalis* esse videtur.

Sic quum aliquis sub chirurgi manu dolorem exquisitum patitur, etiam quamvis multum sanguinis non profundatur, vel quum scrobiculus cordis, testes, cubiti extremitas, vel ulla alia pars exquisito sensu prædita, iictu vehementi afficitur, homo pallescit, pulsusque frequens et debilis

debilis redditur. Quæ symptomata systematis sanguiferi actionem tunc temporis multùm imminui, manifestò demonstrant. Hæcce generis sanguiferi vigoris prostratio, a vi cerebri immunita, vel, aliis verbis, a debilitate, pendeat oportet. Ad hanc opinionem confirmandam, multa alia exempla, si neceſſarium effet, adduci possent.

Quamvis dolor acutus sanguinis impetum brevi imminuat, tamen calor auctus, auctaque generis sanguiferi actio, dummodo perfstet dolor, fæpè citò accedunt. Uno verbo, febris inflammatoriæ symptomata plerumque superveniunt. Interdum autem quando dolor exquisitus adest, pulsus nec validus nec durus fit. Ventriculi intestinorumve inflammatio acuta, exemplo fit.

In inflammatione topica, ægri raro febre corripiuntur, donec dolor acutus evadat. Tunc temporis de languore, laſſitudine, appetitūs defectu, et fitis incremento, conqueri incipiunt. Perſtat febris donec dolor magna ex parte defi-  
nat, vel faltem multò minùs vehemens fiat. Reverà, doloris vehementia febris violentiæ plerumque respondet. Ideòque minimè rationi  
repugnare

repugnare videtur concludere, in omni inflammatione topica, prius quam suppuratio supervenerit, dolorem febris causam esse.

Cur dolor acutus debilitati, iterumque haec superficie contractioni, omnibusque ceteris febris symptomatis, originem praebat, me prorsus ignorare, profiteor. Verum res explicata non magis difficultis est, quam cur causae febris remotae, quas naturae debilitantis esse plerique largiuntur, corporis superficie constrictionem spasmodicam efficiant.

Non ignarus sum, opinionem generalem esse, dolorem, inflammationis topicae comitem, universum corpus valide stimulare vel irritare, unde febris, quae acutè dolentes affectus inflammatoryos comitatur, excitatur.

Si revera, morbi principio affectus hujusmodi stimulantium generalium vice fungerentur, primo loco sequeretur totius systematis sanguiferi actio aucta. Verum quoniam debilitas per universum sistema in iis morbis semper occurrit, et gradu major minorve perstat dum adsunt symptomata vehementiora; et quoniam calor praeter naturam auctus, prius quam rigor vel ulla symptomatum

symptomatum febris accessionis solitæ propriorum occurrant, non accedit; fas est concludere, debilitatem primam esse mutationem quæ per totum corpus efficitur.

Hinc affectiones inflammatoriæ topicæ, dolore acuto stipatæ, pro stimulis in cor arteriasque rectâ agentibus minime habendæ sunt. Verùm stadii frigidi et spasmi qui succedit interventu, genus sanguiferum universum eventu sæpe stimulant, omnibusque symptomatîs, quæ diathesin inflammatoriam insigniunt, originem præbent; atque hunc effectum edunt, halitum cuticularem cohibendo, ideoque temperaturam præter naturam augendo, unde cor arteriæque ad se se vehementius contrahendum impelluntur.

Affirmari potest, obstaculum sanguinis per partem inflammatam circuitui oppositum, in vasis vicinis congestionem insolitam efficere, ideoque stimulo valido nimiæ distensionis hæc vasa ad actionem vehementem impellere, et hanc vasorum actionem nimiam, universo systemati eventu impertiri posse. Sanguinis congestionem in vasis prope partem affectam sitis

fieri, et horum vasorum actionem augere, posse, admodum probabile videtur. Verum fatendum est, hujusmodi obstrunctiones rationem minimè reddere affectionum febrilium generalium, quæ inflammationes topicas, magno dolore stipatas, semper comitantur.

Si sanguinis obstrunctiones, quas efficiunt affectiones topicæ, febrem inducendo pares essent, sanguine alicubi obstructo, febrem pro arbitrio nostro arcessere possemus. Hicce effectus, exempli gratiâ, sanguinis cursu in quavis extremitatum obstructo, sequeretur. Quoniam, igitur, benè notum est, hujusmodi particularem sanguinis circuitûs obstrucionem, febrem non generare; concludere nobis licet, obstrunctiones, quæ a partis inflammatione oriuntur, non pro febris, quæ hujusmodi affectiones comitatur, causâ habendas esse.

Porrò, certissimum est latè patentes viscerum internorum affectiones inflammatorias, præser-tim verò jecinoris et pulmonum, sæpe post mortem reperiri, quamvis neque febris neque dolor constans adfuerint.

Hinc

Hinc affectiones inflammatorias, nisi adeſt dolor acer, febre non necessariò ſtipari, ideòque dolorem pro febris causâ, ni fallor, habendum eſſe, concludendum.



CA 1891 MULBERRY.

This suggestion is submitted to the Board of  
Education, especially in view of the  
fact that the first class in the  
country has been taught by the  
correcting authority.

Very truly yours,

John C. Muller, Superintendent.

Montgomery, N.Y., March 1, 1891.

Very truly yours,

John C. Muller, Superintendent.

Montgomery, N.Y., March 1, 1891.

Very truly yours,

John C. Muller, Superintendent.

Montgomery, N.Y., March 1, 1891.

Very truly yours,

John C. Muller, Superintendent.

Montgomery, N.Y., March 1, 1891.

Very truly yours,

John C. Muller, Superintendent.

Montgomery, N.Y., March 1, 1891.

Very truly yours,

John C. Muller, Superintendent.

Montgomery, N.Y., March 1, 1891.

Very truly yours,

John C. Muller, Superintendent.